

auch zu Grabe getragen werde, die die Heilige Schrift für so einfach hielten, dass jeder ohne Lehrer und mit seinem eigenen Verstande die verborgensten Wahrheiten zu ergründen vermöge. Aber gerade im Gegensatz zu solchen Erscheinungen, die mit echter Wissenschaft nichts zu tun hätten, forderte er ein ernstes, unablässiges Studium, das freilich nicht sich auf die eigenen Geisteskräfte verlasse und Irrlehren wie die Pest scheue, nicht urteile, ohne vorher die Sache kennen gelernt zu haben, das Sein dem Scheinen voranstelle, aber eben doch ein Studium, das durch keine äusseren Rücksichten von dem Wege zur Wahrheit sich abbringen lasse¹.

1) Hugo de S. Vict., *Erud. Did.* III, 14: 'In proverbio dicitur: "Quod tu non nosti, fortassis novit asellus". Nemo est, cui omnia scire datum sit, nec quisquam rursum, cui aliquid spiritale a natura accepisse non contigerit. Prudens igitur lector omnes libenter audit, omnia legit, non scripturam, non personam, non doctrinam spernit. Indifferentem ab omnibus, quod sibi deesse videt, quaerit. Hinc illud Platonium aiunt: "Malo aliena verecunde discere, quam mea impudenter ingerere". Cur discere erubescis et nescire non verecundaris? Pudor iste maior est illo. Aut quid summa affectas, cum tu iaceas in imo? Considera potius, quid vires tuae ferre valeant. Aptissime incedit, qui incedit ordinate. Quidam dum magnum saltum facere volunt, praecipitium incidunt. Noli ergo nimis festinare, hoc modo citius ad sapientiam pertinges Nullam denique scientiam vilem teneas, quia omnis scientia bona est nec perdes aliquid, maxime cum nulla scriptura sit secundum meam existimationem, quae aliquid expetendum non proponat, si convenienti loco et ordine tractetur Si omnia legere non potes, ea, quae sunt utiliora, lege; etiamsi omnia legere potueris, non omnibus tamen idem labor impendendus est, sed quaedam ita legenda sunt, ne sint incognita, quaedam vero, ne sint inaudita, quia aliquando pluris esse credimus, quod non audivimus, et facilius existimatur res, cuius fructus agnoscitur. Videre nunc potes, quam necessaria tibi sit haec humilitas, ut nullam scientiam vilipendas et ab omnibus libenter discas. Similiter tibi quoque expedit, ut, cum tu aliquid sapere coeperis, ceteros non contempnas. Hoc autem tumoris vitium hinc quibusdam accidit, quod suam scientiam nimis diligenter inspiciunt, et cum sibi aliquid esse visi fuerint, alios, quos non noverunt, tales nec esse nec potuisse fieri putant. Hinc etiam ebullit, quod nugigeruli nec quidam nescio unde gloriantes priores patres simplicitatis arguunt et secum natam, secum morituram credunt sapientiam. In divinis eloquiis ita simplicem modum loquendi esse aiunt, ut in eis magistros audire non oporteat, posse satis quemque proprio ingenio veritatis arcana penetrare Non est mei consilii huiusmodi imitari. Bonus enim lector humilis debet esse et mansuetus, a curis inanibus et voluptatum illecebris prorsus alienus, diligens et sedulus, ut ab omnibus libenter discat, nunquam de scientia sua praesumat, perversi dogmatis autores quasi venena fugiat, diu rem pertractare, antequam iudicet, discat, non videri doctus, sed esse discat vel quaerat, dicta sapientium intellecta diligat et ea semper coram oculis quasi speculum vultus sui tenere studeat. Et si qua forte obscuriora intellectum eius non ad-